



Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

Johannis Schultingii Ad Calpurnii Flacci Declamationum Excerpta
Emendationes & Notae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

JOHANNIS SCHULTINGII

A D

CALPURNII FLACCI
DECLAMATIONUM

Excerpta Emendationes & Notæ.

DECLAM. I.

Femina possit, mater velit.] Ita nomina quandoque singula & sola ponunt ad exprimendum, & saepe quasi ad inculcandum circuitione nulla ingenium, munus aut & alia quæcunque adjuncta vel hominum vel rerum. Ovidius: *Pietatem publica causa, Rexque patrem victi.* Frequens maxime in Decl. Quintilianus avus: Declam. 385. *Viri fortis legem transuli in patrem: patris in virum fortem.* Alter Quintilianus Declam. 12. *Secretum non filius accepit à patre, sed cecitas.* Decl. 19. *Querelas habet ista (lex malæ tractationis) non gemitus, & matre seposita solam complorat uxorem. eadem Declam. Ego jam possum supra revereri, & post exitum unici revertor in patrem.* Huc pertinet illud Poëta: — *hominemque exuentus Exiit, & tenuem casis invidiæ harenam.* Quod genus exemplum est in Declam. 12. Quintilianus ejusdem, non procul in it. ubi hæc sunt. *Ignoscite tamen violati manes meorum: hic vos alloquor: ignoscite, quod ora temeravimus, quod ab homine descrivimus.* Rursus eadem, ubi agitur ipsissima de re, de qua apud Poëtam: *Si quis adeo hominem exiit, ut ibi poenam querat, ubi sensus doloris non inveniat; nempe tamen cadavera feris obijciet.* Ipse Calpurnius noster Declam. 9. *Qui fieri potuit, ut mala fuerit uxor, quæ tam bona mater est? Ego feci. Non sceleris, sed matris ista confessio est.* Declam. 18. *Parentum illa deliberatio fuit, hæc jam cunctatio parricidarum est. Quæ conjungere placuit, quia singularis sunt elegantia, & multis declamationum locis lumen afferunt.*

Non possum filii mei mortem videre,

&c.] Innumeris declamationum controversiarumque, quæ ad nos pervenerunt, in locis illud legentibus in numero habendum; objectiones ex abrupto poni solere: quibus responsiones eadem ratione subjungantur. Quod observatum & hoc loco difficultatem tollit.

DECLAM. II.

Rationem habet non sanitatem.] Sensus vult, non rationem habet, non sanitatem.

*Quas quasi descriptas species cust.] Illud descriptas accipio, definitas & certo cuique assignatas. Atque huc non male referas illud Justinii 9. 5. *Auxilia deinde singularum civitatum describuntur.* Item illud Suetonii Tib. 30. *de legendo vel exauctorando milite; ac legionum & auxiliorum descriptione.* Quibus locis patet, id quoque hac voce contineri, ut res referatur in tabulas, quo magis de illa constare, nec ita facile fraus iis, quæ placuerunt, fieri possit. Qua de causa etiam illud quasi hic adjectum videtur.*

Non eodem omnes col. ting.] Lego, & eodem. Simile mendum Decl. 26.

*Ex altera parte qua conv.] Emendabam, Ex altera parte quoque convexus & deficiens mundus vicinum inficit Orientem: & hic effusora corpora, illic collectiora nascuntur. Diversa, &c. Mundum posuit pro coelo, ut & Quint. Declam. 10. Verba sunt magi: *Magis mihi laborandum est, quam cum sidera mundo revelluntur: cum jubentur byberni stuviorum stare decursus.* & Princeps Poëtarum quantum videtur 1. Georg. 240. *Mundus ut ad Scythiam Riphæasque arduus arces Assurgit; premitur Libyæ devexus in Austros.* Sequitur enim: *Hic vertex nobis semper**

Bbb 5

subli.

sublimis; at illum sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi. Convexus autem & deficiens mundus est, ubi nobis terminatur, & vergere incipit ad Antipodas: quorum cælum nostri respectu deversum est. vide versus cit. Oriens vero Asiam Asiaticosve populos notat: hos inter & Indi: quos quia tingit & inficit Sol, inde Poëris, decolor Indus. Quem admodum autem hic tingere & inficere, ita occurrunt & apud Propertium 2. 18. Nunc etiam insectos demens imitare Britanos: Indis & externo tincta nitore caput.

Quid ergo? inquit: amavit Æthiopem.] Scribe, amavi Æthiopem?

Nemo adulter formosus est.] Dubitat de his Pithæus, & non vellet insertum: sed nihil mutandum. nisi quis malit erit, quam est.

Quod parere noluit, &c.] Hic parere voluit; & mox, quod infeliciter peperit, legendum esse mihi dubium videtur nullum. Pertinet huc locus ex Quintiliani junioris Declam. 18. in postremis, quæ pudicitia prima fiducia est, edidit partum, quem maritus agnosceret: non timuit, ne supra furtivosque concubitus, parvuli vultus, aut crescentis infantia similitudo (malim dissimilitudo) detegeret.

DECLAM. IV.

Liceat impetrare, quod non licet recusare.] Delenda negatio, si sensui consulere velimus.

Et alienum supplicium expectando suum discunt.] Lege vel spectando, vel & inspe-ctando. Posterioris optimis frequens.

Quid est, quod me lex anno reservat, &c.] Ne fluctus excitem in simpulo, nulla circuitione dicam, quomodo hæc judicem restituenda. Rescribo itaque, Quid est, quod me ex lege anno reservat? Nescitis adhuc, quid cogitet. Nimirum de parricidio, etiamsi jam creditur, nondum liquet.

Qui hoc postulo.] Vult (nam hoc intelligit) tormentis me subigere pater ad fandum falsum. Hic autem sana erunt omnia, si pervulgata aliarum declamationum ratione, quarum hæc esse excerpta patet, legatur: Quid hoc est,

judices? à patre parricida non timeor. Quid ergo? dicam ne scivite, cum rogem? dicam miseremini, cum carcerem rogem? Adde Declam. Quintiliani 375. fin. & 376. medio.

Qui contemnere carcerem.] Omissa particula nisi: qua superstitie esset, nisi qui contemnere carcerem possent.

Hanc crucem patere, si gravis est.] Ita crux pro quovis vel supplicio, vel cruciatu amant auctores. Omnium maxime id se prodit in illo Plautino, Quæ te crux agit? quo de plura ponemus ad Quintil. Decl. 2. init. Atque hoc observato cum aliis auctoribus in concordiam reduci poterit Florus 2. 2.

DECLAM. VI.

Adolescens dives.] Confer Declam. Quintiliani 351. quæ est ejusdem argumenti.

Dicendum se de tyrannide pollicetur.] Fuit, credo, pollicebatur.

Supra civilem hanc æquationem.] Hæc ad statum liberæ reip. pertinent: ubi omnibus æquum jus est, aut esse debet; ita ut solutus legibus sit nemo. Florus videatur 3. 13. Sallustius B. Carilin. 37. Liv. lib. 2. init. Phædr. fab. 2. quæ jam vulgata sunt. Cæterum quod hic æquatio, id in Decl. 4. Quintiliani æquitas, quomodo dignationem & dignitatem sensu eodem hoc seculum dixit. Verba Quintiliani sunt, Relaturum me putatis illa optionum verba solennia, Non capere magnorum pretia meritorum solas æquitates? paulo post, Sed securi estote de aviditate summæ potestatis. Ubi summa unius potestas æquitati opponitur. Nisi æqualitates quis putet legendum. Tacitus 1. Ann. 4. translatam ad Cæsares rempub. & libertatem perditam significaturus, Omnis, inquit, exuta æqualitate, jussu principis aspectare.

Cui jam in deterius nihil superest.] Justin. de Agathocle adhuc privato; diu sine fide fuit: quoniam nec in fortunis, quod amitteret, nec in verecundia, quod inquinaret, habere videbatur.

Produm necesse est affectus hospitis mei.] Tacita haberem omnia, quæ ex hospite meo

meo audiui, & quid de illo iudicem. Nunc mihi divertum imponit necessitas, eaque vobis prodo, ne ipse vobis diutius suspectus sim.

DECLAM. VII.

Soli omnium torti sunt.] Lego, torti non sunt.

Uritur & flagella ignibus adjuvantur.] Iterat dicta. Simili ratione Decl. 13. *Ultio quidem illa, non quaestio. Tyrannus venenum quasivit (lege non quasivit) sed vindicavit.*

DECLAM. VIII.

Et quotiens prodire felicitas non potest, redit.] Vellejus 1. 17. *difficilisque in perfecto mora est, naturaliterque quod procedere non potest, recedit,*

DECLAM. IX.

Ut propter illum pater ut perderet.] Alterutrum ut est inducendum.

Tu me mulier excacare potuisti, &c.] Ut compendium fiat orationi, pariter atque insimul proponam, quomodo mediam hanc declamationem satis obscuram & turbatam restituendam existimem. Lego itaque, *Tu me mulier excacare potuisti, quæ nec parricidam potes? Non feci, inquit. Ut innocens sis; dum excacaretur pater, expeclasti. Non feci. Non credam, nisi confitearis? Talis es adolescens, ut excacare nolueris patrem, cum te excacare velit pater? Ita Declam. 19. Quintil. Dicitur est occidere posse patrem: dicitur est dignus, quem posset etiam pater occidere. Sequentia porro lege. Quam sceleratus es! plus te odit pater, quam cum, à quo excacatus est. Potest & fuisse: pater? qui tam sceleratus es, ut plus te pater oderit, quam cum, à quo excacatus est. Excacatus autem non ex vero, sed ex sententia & asseveratione matris & filii.*

Cujus crimen est excacare?] Hæc quoque corruptissima. Scribo, Cujus crimen est excacasse patrem? cuius est patronam excacare matrem. Qui fieri? &c.

Ego feci.] Ita scilicet loquitur mater, quod tamen non à conscientia, sed ab amore in filium proficiscitur. Quod inuitur sequentibus.

Credite confitenti, sed si difficile, &c.] Etsi difficile est accommodatius ad sensum esse, quivis facile videt. Præterea corrigendum, cum dederis damni paulum. Simile mendum est Declam. 385. Legendum enim, *Quanquam ut dederim (fecerim ediderunt) damnum, merito relata tibi talis est, propter quem damna omnes faciunt.* Terent. Andr. 1. 1. 116. Ita legendum sit, quod proximum est, *credite confitenti, etsi difficile est fateri, etiam cum dederis damni paulum.* Cogitavi quandoque excidisse confitetur ante etsi difficile.

DECLAM. X.

Si spectatores oculi, &c.] Acumina, ignorantia vitio, errorum mendorumque esse causam hæc demonstrat Declamatio: quam manifestum est elegantia sua tantum non periisse. Rem nos dedisse auctorem fatebuntur, qui iudicio suo, quæ ad hæc illustranda adduxerimus, perlustraverint. Huic loco medicinam facere facillimum est, non itidem & ceteris. Levissima enim mutatione hæc ita concipienda, *Sic spectatores oculi tertia redeunt orbitatis. Qui calamitatibus, &c.*

Solus pater oculos perdidisset.] Nunc minus mirum mihi non fuisse matrem, quæ potuit & filium occidere, & me facere spectatorem orbitati tertia.

Qui aliquid amore fecerunt.] Respicit hoc ad istud, quod amatorum, cum inconsiderantia aut & violenta temeritate peccaverunt, usu quotidiano tritum est, & magistri hoc amoris carmine expressum, *Non hoc injuria factum, Verum amor est.*

Differ aliquantum saucium lumen.] Succurrit sensui aptissimum, *sanum nunc lumen.*

Miserationem meam tum habuit.] Hæc ratione expurgationem habere expurgare est Plauto Mercat. 5. 3. quod mire dictum non esse concedet, si quis cogitet pervulgatum illud orationem habere, quid verbo

verbo uno denotet. Ceterum ut hæc periodus cohæreat, refingenda est hunc ad modum, *Miserationem meam tunc habuit, postquam cepi monere de filio.*

Et horret referre animus, &c.] Hæc & sequentia ægra & prope deposita sunt: ut à prudenti tamen audacia aliquid auxilii accipere possint: qua esset, *Horret referre animus. Quam pœnitent indicasse! Sed remedia quærenda non sunt, ubi majus supplicium sanatio.* Ad postrema faciunt illa Declamationis 35. infra, *Vos cogitate, quanto sint mala illa graviora, quorum sunt etiam remedia crudelia.*

Quod non filius somniavit.] Nihil in his sani. Lege quod non filio somnium narravit. Sequentia distinguendo illustrentur. Ita talia erunt. Debet hoc sola mater audire, vel ut filio caveat, vel ne mariti doleat cæcitatem. *Accerso conjugem, &c.* Conjugi testatur indicandum somnium fuisse, ne mariti doleret cæcitatem. Hoc enim somnio illa intelligere poterat, non omnem spem marito oculorum lumina recipiendi incisam esse.

Etiam nunc apud me latet, &c.] Ut continuo sub adspæctum dem, quid hic erratum arbitret, ecce quomodo his opem feram. Lego, *Etiam nunc apud me latet quod sola tu nosces: subito aspectu somnii in metum veni. Et factus de filio. Quicquid est, timui, sed id de matre non credidi.*

Qui ut seclerate viderem, &c.] Luxata hæc ita repono: calamitate. *Non recepi oculos, sed perdidisti cæcitatem, qua tua scelera non viderem.*

Quod ultimum videram.] Per quietem nempe. Ita Sueton. de Augusto illius in vita cap. 91. *Ipsæ per omne ver plurima & formidolosissima & vana & irrita videbat, reliquo tempore rariora & minus vana.* Iustin. 15. 4. *Admirabilem fecit hunc visum & anulus, &c.* Id est, somnium, quod visum nocturnum plenius dixit 1. 7. ut & Sueton. loco cit.

Pendebat extinctum & contentus.] Integra hæc sint, *si legas, pendebat extinctum corpus, & contentus laqueus adolescentis collatenuabat.* Nimirum ita viderat in somnis: ita nunc res repræsentabatur.

Hæc in filium cum oculos meos venerant.]

Scribo, in filium meum ob oculos meos venerunt.

Nec maritum posse sanari.] Et sic morte istius filii vacuum sine hærede tibi domum meam futuram.

DECLAM. XI.

Ubi odia nihil fecere.] Legebam, obfures sed vulgatum sensu eodem exponatur.

Qui si bonum animum, &c.] Legendum videtur, *Qui sic bonum animum in adolecentes meos tenuit, ut filios ambo perdidimus. vel tenuerat, filios ambo non perdidimus.*

Qui urgetur irasci.] Melius, non irasci: scilicet, sed potius precibus agere adversus impotentiam divitis.

Divitiæ inconstantium animorum. In summa pern.] Exigua mutatione reformata, potuerunt. *divitiæ inconstantium animorum: in summa, perniciæ.* In quibus divitiæ animorum inconstantia eleganter dicuntur, quia causa inconstantia sunt: quomodo & perniciæ esse dicuntur. Eodem modo accipiendum illud Declam. 50. infra: *Erravi, savor, judices, erravi, qui semper credidi immortalitatem esse, pro Repub. mori.* Tale est illud quoque Propertii lib. 1. eleg. 2. *Non Idæ & cupido quondam discordia Phæbo Eueni patriis filia litoribus.* Porro in summa hic positum, ut denique apud Flor. 1. 16. *Nihil mollius celo: denique bis floribus ornat.* id est, ut paucis dicam id, unde reliqua possint colligi. Ita eadem particula reperitur apud Iustin. 9. 5. 1. & in l. 13. *D. de adopt.* Eopse sensu Plautus postea Mercat. 2. 3. 36. & Quintilianus Declam. 12. deinde. *Nullus amœnus portus, nulla celebris civitas inuisitata transitur. Mentior; etiam ad esurientes applicas. Dein si quam timoris injuriam (l. quem timorem injurie) quæris, non feram te morantem.* Sed hæc in transcurso plenius de his egimus ad declamationes primas.

In summa perniciæ vel velle, &c.] Perniciæ, ut vidimus, ad antecedentem periodum pertinet. Quæ sequuntur, corrupta iidem sunt, & restituenda hoc modo, *Vel volet ad me redire, vel nolet.* Nisi quis credat, quod & ipse suspicor, inter-

intercidisse voculam *fac.* ut sic scribendum, *Vel fac velle ad me redire, vel nolle.* Virgil. 4. *En. Quis me autem (fac velle) sine.* Seneca Phœnissis 200. *Quis jam deorum (velle fac) quicquam potest Malis tuis adjicere?* Sequenti hujus declamationis periodo, scribe, *non delectabit.*

Ne adhuc redimerentur inimici.] Lego: *retinerentur inimicitia.*

DECLAM. XII.

Adoleverunt ambo infames.] Alia editio, *infantes*, quod non placet. Sed nec hæc satisfaciunt: in quibus malum, *adoleverunt ambo, sunt infames.* In infamiam adducti ab noverca videntur, quasi patri necem molirentur. Quare in Declam. est, *Parricide adoleverunt ambo.* ex insimulatione scilicet novercæ, & maligno rumore vulgi. His autem mendaciis id quæsisse noverca videtur, ut eos cum tolleret, vel in patrem facti invidia transfertetur, vel & in ipsos adeo, quasi agritudine ex offensa patris, vel dolore infamiæ, vel & pœnitentia destinatorum, contra facta decessissent, aut sibimet necem conscivissent. Sed contra evenit: cum his factis noverca se detexerit patri.

Filios nostros.] Mox *parricide ambo* de filio & filia. Tacit. 12. Ann. 4. *fratrumque non incestum, sed incestum amorem ad infamiam traxit.* id est, fratris & sororis. est ita & Decl. 43. infr. Quæ nota, sed hic cogitanda sunt.

Et in suppliciis docuit.] Lego, *didicit.* Ut velit jam olim arte illius & opera periisse alios, dum discit apud veneficam: qualis describitur Locusta à Tacito 13. Ann. 66.

Et præter sexum multo, &c.] Ut hæc connectantur, lege, &, *præter sexum, non multo fratre simplicior.* In uno utriusque mentem videres. *Simplicior*, ut *simplicitas* in illo Ovidiano, *Fallere credentem non est operosa puellam Gloria: simplicitas digna favore fuit.*

O noverca! est alta crudelitas, &c.] Ex his sensum exculpere non potui: igitur tandem eo deductus sum, ut crederem vitio affecta esse; cui sic possumus mēderi: *O noverca! tua est illa crudelitas.*

Ex illa fecerunt primum alia, & mox transitu facili alia. Quintiliani Declamat. 252. initio: *ut diceret, qua alia lege cum alio consistere potuerim.* Ubi cum illo tantum sensum & locum habet. Sequentia vero hujus loci sine interrogatione sic ponantur, *Amasset: & consciam putarem.* Quæ intelligenda, quasi scriptum esset, *Si amasset.* Quod amanti optimi. Manifestum est in illo Iuvenalis, *Graculus esuriens in cœlum, jusservis, ibit.* Et illo Virgillii, *Tu quoque magnam Partem opere in tanto (sinevet dolor) Icare haberes.* Quintilianus etiam eo exemplo, quo Calpurnius, Declamationes 332. fine. *Accessissent huic testamento subita opes; idem erat.*

Cur postquam adolevit puella, est, interemptus adolescens? Expungo interrogationem, & initio periodi pro *cur* reddo auctori *Verum*, ut sit in his objectio: ad quam indignabundus statim respondet.

Tandiu ergo fuit quieta noverca crudelitas.] Intelligit nequaquam antea quietam novercæ savitiam fuisse: quæ suis mendaciis filiis ipsius infamiam conflagaverit. Vide nostra ad argumentum. Huic autem periodo addenda interrogatio, quo indignatio patris mente concepta, rectius exprimitur.

Modum non habet iracundia mentiendi.] Lego, *inverecundia.*

DECLAM. XIII.

Sanandi remedium perdidit.] In voce maxime vulgari singulare quid se offert apud hos auctores. quod docebunt loca, quæ subjiciemus Declam. 1. de eo, qui accusabatur obruncasse patrem, cum eodem tempore interficiendi novercam fuisset data copia, *Perdidisti ergo illud (verba sunt ad privigoum) quod nihil senserat, quod nox, quod silentium, quod tempus supererat sceleris alterius.* Decl. 349. Sed hoc si palam indicaverit, perdet artem. adde supr. Declam. 10. & Sen. Thyeste 1097.

In quibus nec ira, nec natura cessavit.] Ira ad tortores & imperatoris crudelitatem, natura maxime ad ignes respicere videtur. Add. Declam. 7. supr.

Præ-

Praemium consequitur, qui ausus est, &c.] Transpositione & corruptione hæc laborant, & possunt ac debent hoc modo ordinari ac sanari. *emergit. Ultio quidem illa non quaesitio. Tyrannus venenum non quaesivit, sed vindicavit. Praemium consequetur, qui ausus est & confirmare meum venenum & suum remedium polliceri? O quam faciles gerit persuasiones, inlecebra quas in contrarium transferi! Cogitavi & hoc modo, O quam facile cedunt persuasiones inlecebraque in contrarium transferuntur! potest & vertunt. Sensu semper eodem. significatur enim, primum facile medicum praemii spe induxisse animum ad opem ferendam tyranno; & nunc itidem facile traductum praemii itidem illius majoris & gloriosioris inlecebra, ad præ se ferendum, quod tyrannum occiderit.*

Ut virus serpebat interius, & artus, &c.] Connecti melius languida hæc poterit oratio hujusmodi lectione. *Huc virus serpebat interius, & artus omnes non longa poenarum dilatione languerant. veneficium jam tyrannus agnoverat, &c.*

Unde venenum tam celeriter preparasti?] Uno protelo ponam, ut hæc puto legenda: Unde venenum tam celeriter preparasti? Dicis forte, Major mihi dandi veneni fiebat occasio, quæ ex ipsius voluntate veniebat, & notum hoc genus mortis est. At ex sensu priorum ad cuncta cautior sollicitudo procedit. Postrema in quibusdam sunt editionibus. Cum ponit, notum hoc genus mortis est, vult notum esse, qua ratione mors veneno inferatur. Ipsa etiam mors interdum est mortiferum quodcumque. Quintilianus Declam. 13. Paravit homo nefarius ante omnia tantum veneni, quod posset & divitis hortis satis esse, & linivit flores maleficis succis, & in venenum mella convertit. Sparxit omnibus floribus mortem. Ita & alibi Tacitus exitium pro veneno dixit. Nepos Dione & Quintilianus avus Declam. 346. sopor pro sopifero medicamento, eo exemplo, quo odores pro odoriferis pervulgatum est. Alter, Quintilianus Declam. 15. odium pro odii positione.

Medicum tota arce clamavit.] Malim,

inclamavit. quod Festus ita interpretatur, convitiis & maledictis insectatus est. Plautus Cistellaria. I. I. 110. Si me absente Alcesimarchus veniet, nolito acriter Eum inclamare. ut ut erga me est meritis, mihi cordi est tamen.

In arce enecavimus: deseruit, &c.] Declamatorium esset, & sensu integrum, *In arce enecavi: non deseruit me venenum, vel, num deseruit me venenum? sententia vividior.*

DECLAM. XIV.

Filius dicit beneficium parentis se essentritum, &c.] In his filii nomen oppositum ad abdicati accipiendum. quomodo dein ead. hac Declam. *Sistitur venalis pater: non festinat hic bonus filius? non denique metuit, ne illum redimat abdicatus? Filius incolomi dignitate non potuit explicare, quantum abdicans explicuit. mox ibidem: Utinam licuisset addidit exereere jus patrium! esset hic abdicatus, hic filius. De abdicacione ultimo patriæ potestatis fulmine apud Græcos plura Ærodius ad Declam. Quintiliani 260. qua & in ipsa præclare ad rem pertinentia occurrunt. Porro hac in periodo argumentum filii adversus abdicatum hujusmodi est: si beneficio parentis sum nutritus, illiusque indulgentia libertatem sortitus & civitatem, ergo verisimile est, quod mihi sua relinquere bona voluerit: nec dubium est, quin illius pro me propensa fuerit, & nunc faciat voluntas; cujus præcipue hoc in negotio habenda est ratio.*

Perinde beneficium hereditatis filio, &c.] Lego, *Perinde ut beneficium. aut Proinde pro igitur legendum. quo usu frequens est.*

Filius incolomi dignitate non potuit explicare, &c.] Incolumem dignitatem hic isti filio pronuntiat, quod abdicacionis ignominia non est notatus: Quintilianus Decl. 260. de abdicatis, *Illud parum est notari infamia? illud parum est, exulem esse domus suæ, Larium suorum? Nepos de Themistocle illius in vita ad initium. Cum minus probatus esset parentibus, quod liberius vivebat, & rem familiarem negligebat, à patre exheredatus est. Ubi exhereda-*

hereditatum pro abdicato posuit: quo exemplo etiam Quintilian. Decl. 338. *Nec inveniri poterat ullum crimen in vita, quo abdicaretur: inventum est novum ex heredandi genus.* Adde Declam. 374. unde causa patet, quare hæc confuderint. Dionys. Halic. 2. 27. de Græcorum legibus & legumlatoribus. *Pænas etiam in contumaces filios statuerunt non graves, permittentes patribus domo eos pellere, atque exheredare; præterea nihil.* Totum hoc caput Dionysii si quis videat, intelliget, quomodo & paternæ opes potuerint esse consumptæ, (vid. fin. Decl.) & ratione tamen huic filio objicere abdicatus, quod non redemerit patrem. Nempe non ut Romanorum, ita & Græcorum consuetudine, quorum ad resp. retorquendus hic est animus, ubi de abdicatione agitur, filiorum habentia intelligebatur nulla, quin & parentum esset: nec continuo si ad paupertatem redigerentur parentes, eodem decidebant filii. Alia plane Græcis suos in liberos, eorumque in bona, potestas fuit. Quamquam inconsiderate satis contrarium Gothofredus statuat ad l. 3. *D. de His qui sui vel alien. jur. sunt.* usus auctoritate Dionysii: cujus libro, quem allegat, iura Græcorum & Romanorum in liberos diversissima fuisse, discere potuisset.

Quoties de hujus simplicitate conquestus? Puto, sua legendum. Conqueritur, quod criminationibus filii credulus temere fuerit.

Illud quod vobis parabatur heredibus.] Lege, duobus. Simile mendum est Declam. 364. *Etiam si forma iudicii unius est, apparet tamen vobis cum legibus esse litem.* Quæro igitur ab istis, utram eligant in qua malint consistere. Legebam: duabus cum mulieribus esse litem. Quæro igitur ab istis, utram eligant, cum qua malint consistere.

DECLAM. XV.

Nec veniam suslinere post gloriam.] Tanquam de onere loquitur. Nempe vel in suspicionem mali facinoris adduci, grave est probis. Unde & apud Plaut. *supri suspicionem suslinere.* Seneca Hippolyto 126. *Probris omne Phæbenum genus onerat*

nefandis. Senex vero si sibi veniam dari pateretur, criminis culpam agnosceretis quam cum omni facti invidia transnovere in imperatorem studet, qui ipsum senem & immunem militia ad bellum & infuscandam gloriam coegerat.

Consecrata jamdudum arma deposui.] Manifeste respicit ad ritum, quo post desertam aut artem aut militiam, arma, instrumenta, consecrabant. Igitur Horatius se emeritæ militiæ amatorem demonstraturus lib. 3. od. 26. *Vixi puellia nuper idoneus, Et militavi non sine gloria: Nunc arma defunctumque bello Barbison hic paries habebit; Larum marina qui Venetis latus custodit. heic heic ponite Lucida funalia & vestes & arcus Oppositis foribus minaces.* Virg. Ecl. 7. 24. & Pers. Satyra 2. 70. & ibi Casaubonus, addendi. ut & Turneb. 6. Advers. 9. Sed quid vult sibi illud deposuit? Cogitabam opposui. Deinde venit in mentem, de poste sumsi. Plautus Trinum. 1. 2. 108. *Mihi quod credideris, sumes, ubi posueris.* Milit. 2. 2. 79. in re simili, *salva sumes indidem.* Porro arma maxime postibus suspendebant apud templa. Horat. lib. 1. Epist. 1. *Vejanius armis Herculis ad postem fixis, latet abditus agro.* Virg. 1. Æn. 252. *armaque fixit Troja.* Ubi Servius: quasi non necessaria consecravit. Figere enim consecrare hic debemus accipere; ut *Postibus adversis figo.* & hoc significat, securus est, quia solent inissi militia sive gladiatura quibuslibet templis arma suspendere. ut Horatius, *Vejanius armis Herculis ad postem fixis.* Mihi aliæ ad hunc locum conjecturæ nondum succurrunt: quanquam fateor posteriorem satis audacem esse.

Sto & pugno pro legibus.] Nec sequi ceteros in hostem invadentes, senio fessus ac tardus, possum. ita desertor sum factus.

Grata sunt & crimina desertoris, &c.] Scribe, *Grata sunt ei crimina desertoris, apud quem nihil valuerunt privilegia viri fortis.* Quare cum is juris & legum rationem habeat nullam, nihil mihi ab illo dari veniam moror, imo deprecor.

Novum genus damnationis.] Ubi damnatur

mnatus contendit, ne sibi remittatur supplicium, & precibus enititur, ut id sibi irrogetur.

Cur enim dubitem per infamiam, &c.] Rescribendum, post infamiam, & mox, qui etiam id juvenis optavi saepe post gloriam. Causa, quamobrem emori juvenis optaverit post gloriam, est in illo Terentiano Eun. 3. 5. 2. *Pro Jupiter! Nunc est profecto interfici cum perpeti me possum, Ne hoc gaudium contaminet vita aegritudine aliqua.*

DECLAM. XVI.

Quid enim sperare poterit, &c.] Obscuritas his nata maxime à distinctionibus pravis. Perspicua satis erunt omnia, si ita habeant, *Quid enim sperare poterit à lacrymis? Juvenis, etiam facie (non animo tantum) liberalis, qualem nemo non sibi aut filium optaret aut generum; is cum puellæ peteret nuptias, ac diu peteret, & jam sperare cepisset, festinavit, ut amator & quid dicam rapuit an duxit? Nec tamen exprimit magistratum hunc, nihil motum lacrymis, cum juvenem summo affecisse supplicio; sed tantum significat. quasi in hoc atrocitas rei includat vocem.*

Libuit & licuit. Cujus hæc an regis oratio est?] Sensus erit, *cujus hæc, nisi regis oratio est? Odiosum autem Romanis libera rep. non minus regum nomen, quam tyrannorum. Latinus Pacatus in paneg. cap. 20. Ejusque (superbiæ) impatientia sunt coacti post bellatores Tullos, Numasque sacrificos, & Romulos conditores regnum usque ad nomen odissi. Quintilianus propterea Declam. 390. regnum & tyrannidem junxisse videtur. Verba sunt. Potestatem tibi vitæ ac necis lex dedit. Ultra regnum omne, ultra tyrannidem omnem est, hoc diu licere. Ceteroquin si rem pntemus, satis magna inter reges & tyrannos intercedit differentia. Illi enim ita judicant; suum esse, quanquam legibus soluti sint, legibus tamen vivere: hi prius nimium cogitant, negligunt posterius, eoque ad immoderata & iniquissima omnia transeunt. Rex scit, quod libet, id sibi licere: tyrannus ni-*

*mis avide id jus exercet. Ita detestabile illud in nomen justo populorum odio adfiscitur. Etenim, quamvis non minus recte statuatur, quod libet, id iis licere, quam summa illos & absoluta in omnes & omnia sui regni potestate præditos vivere; non continuo tamen & justum erit, quicquid fecerint. Licere enim tantum impunitatem tribuit. Igitur Claudianus Imperatorem informans, præclare: *Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit, Occurrat, mentemque domet respectus honesti.* Inde & Cicero pro Rabirio Postumo iudices sic alloquitur, *Quid deceat vos, non, quantum liceat vobis, spectare debetis: si enim, quod liceat, queritis, potestis tollere & civitate, quem vultis.* Seneca controvers. 4. *An licuerit filio: An vindicare oportuerit: An si licuit & oportuit ignoscendum sit illi, si non potuit indulgentia repugnante.* Vide Grot. de jure belli & pacis 3. 4. 2. Quare satis audacter Salmasio ommastix pro populo Anglicano post initium c. 2. *Et enim si quicquid regi libet, id jure regio licitam erit, quod teterrimus ille Antoninus non statim ausus est credere, nemo profecto est, aut unquam fuit, qui tyrannus dici debeat. Cum enim divina omnia atque humana violarit, nihilo tamen minus rex, jure regio insens erit. Imo ille nefarius erit, tyrannus erit. Nec enim si impune ista commiserit, ideo & recte fecisse consequens est: quin & pœna & contumelia dignus merito habebitur: sed quarendus iudex est.**

Nec erat arbiter judicii, &c.] Commodius, *Non erat.*

Miser ille, quem nullo accusatore punxisti.] Altera editio, *punxisti. lege, punivisti.*

DECLAM. XVII.

Accusatus peregrinitatis.] Ita Sueton. Claud. 15. *peregrinitatis reus, qui accusatur, quod gerat se pro cive, cum civis non sit.*

Libertate mulari.] Sueton. Iul. initio, *gentilitiis hereditatibus multatus. cui adempta illæ multæ nomine. At Florus 2. 14. Macedoniam servitute multavit. Ubi est species pro genere, & accipien-*

dum,

am, punivit. Cuiusmodi locutio eo invaluit facilius, quod quondam pleræque pœnæ erant pecuniariæ. Quintil. Declam. 320. Nam mihi ex hoc, quod plerisque criminibus pecunia pœna imponebatur, appellatio etiam ipsa damnatio videtur. In quibus damnationis legendum, aut pro appellatio, vel appellata, vel appellari. Porro illius, quem dixi, moris vestigium superest in istis locutionibus *solvere pœnam, dare pœnam, exigere pœnam*. quia solvendo, & dando multam, puniebantur; exigendo puniebant. Qua ratione Plaut. Menæch. 3. 1. 9. *census capere*, dixit pro *pignora*: quod censura ista multam capiendo exercebatur. Nam *census* pro *censura* positum, ut eidem *census* pro *tonsura*. Amph. 1. 1. 288. Eodem autem ex fonte, quem vidimus, fluxit illud Suet. Octavio 21. *multare pœna*. Verba sunt, *Neque aut, crebrius, aut perfidiosius rebellantes graviore umquam multatus est pœna, quam ut captivos sub lege venundaret, ne in vicina regione servirent, neve intra trigessimum annum liberarentur*. Ubi tamen Casaubonus notat, in optimis esse quibusdam, *ultus est pœna*. Alioqui noverat vir summus *multatus est* pro *multavit* non esse mirandum. Cum tot familia principes apud auctores reperiantur: quæ colligerunt alii. Unum forte possim addere. Gell. 3. 2. *Quintum quoque Mucium Jurisconsultum dicere solitum legi, non esse usurpatam mulierem, quæ Kalendis Januariis apud virum causa matrimonii, esse cepisset, & ante diem quartum Kalendas Januarias sequentis usurpatum isset*. Ubi non incommode accipiatur, *usurpatam esse*, pro *usurpavisse* positum, id est, usucapionem interrupxisse. Paul. l. 2. *Gajus l. 5. D. de Usurp. & usucap.* Nisi quis putet legendum *usurpatum isse*, hoc sensu, quo Jurisconsulti statuunt eos nihil agere aut egisse, nihil facere aut fecisse, quorum actus jure nulli sunt. Inst. tit. *qui & à quib. caus. man. princ.* Nam is, qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit: quia lex *Elia Sentia* impedit libertatem. l. un. D. quando dies ususfruct. leg. Denique Scævola ait, agentem ante diem usufru-

ctus nihil facere, quamvis alias, qui ante diem agit, male agit. Sed hæc *w's* *cū παρὰ δὲ*.

Idoneum judicasti.] Declam. 376. *Abdicat tam cito? si non eram idoneus, non eram recipiendus.*

Nihil umquam negabas.] Ita tua indulgentia, non mea negligentia, aut exemplis meis pravis præceptisve corruptus est.

DECLAM. XVIII.

Peto, ut indulgentis iræ domestica.] Serv. 4. Æn. Virg. ad illa, *Indulge hospitio. Indulge*, inquit, da operam: ut, *indulgent vino, & vertunt crateras abenos*. Quod & hic locum habet. Nam quid est indulgere iræ, nisi illi quasi operam dare, illi animo addictum & volentem esse? Sed inde patet, emendandum esse, *Peto, ne indulgentis iræ domestica*. Vult enim ne amplius infensi sint filii, quos abdicaverant.

Cunctatio parricidarum.] Quia parricidium committimus, dum cunctatione nostra filios ad mortem adigimus.

Ætate lapsi sumus.] Lege, sunt.

Ego ille servus & tristis, &c.] Turbata hæc sunt, & hoc ordine ponenda, *Ego ipse tristis & servus, cum abdicarem, fui & tamen semper ex eo licet tacitus, ingemui. & oportuim jus (an tempus?) restitutionis optavi. Restituat vobis filios auctoritas publica, tanquam alia natura*.

Abdicatorum senatus.] Plaut. Mostell. 5. 1. 8. *Capio consilium, ut senatum congeronum convocem*.

Fateor, armatorum facie non immerito terremur.] Locus haud dubie affectus. Conjeci: *Fateor, armatorum facie non immerito terremur: etenim sunt morituri*. Ut hoc dixerit ad movendos terrore patres, quibus desperata filiorum ab audacia immineret periculum, quo filii quidem haud dubie, forte vero & ipsi essent interituri Flor. 2. 18. *Non est permessa pœna mori vivis*.

Et elogio quod optasti, nomen inscribam.] Cohærebunt, si scribas, & *elogium, quod optasti, & nomen inscribam*. Quod optasti, dum scilicet revocari postulabas.

DECLAM. XIX.

Spiritum, quem fortuna mea debet.]
 Quia abdicationis ignominia abs te sum notatus. Non dicit natura, quippe juvenis adhuc. Ita & Dido apud principem poetarum, *Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi.* In quibus *cursum*, ut prætereundo hoc dicam exemplo Theocriti Idyll. 18. vs. 22. ponitur. *Fortuna* vero dicitur, ut natura hoc fieri negetur. Cic. in Philipp. *Multa mihi imminere videbantur præter naturam, præterque fatum.* ubi *natura* & *fatum* casus excludunt fortuitos. Nam *fatum* intelligendum in istis, quod *denunciativum* gentiles appellaverunt. Theologi Christiani decretum Dei *absolutum* solent dicere. quorum nonnulli vehementissime propugnant ab eo *diversum*, quod *conditionatum* nominant; *conditionale* antiqui verorum factorum expertes. vid. Serv. ad 4. Æn. 696. Observare autem licet, cum de utroque fato loquuntur, quod *fatum* denunciativum *κατ' ἐξοχῆν* appellant *fatum*; alterum vix nominent, sed rei significant nomine, quæ illo continentur. Et præterea hoc ad *fatum* quod illius ingenio convenit, casus fortuitos referunt. Exemplis id demonstrari potest. Tacitus 1. Ann. 3. *Cajum remeantem Armenia & vulnere invalidum mors fato propeva, vel noveca Livie dolus absulit.* Flor. 1. 13. *Hinc sive invidia deum sive fato, rapidissimus procurrens imperii cursus parumper Gallorum Senonum incurfione supprimitur.* Justin. 9. 8. de Philippo. *Habuit & alios multos ex variis matrimonii regio more susceptos, qui partim fato, partim ferro periere.*

Patriæ profundam.] Id est, Illius in honorem. Notum est illo casu honorem exprimi. Sen. Troad. 117. *Tibi nostra ferit dextra lacertos, Humerosque ferit tibi sanguineos Tibi nostra caput dextera pulsat. Tibi maternis ubera palmis Laniata jacent.* Patriæ autem honoris gratia & propter patriam, eodem recidunt. Quod notum est iis, qui Plautinos lepores degustaverunt. Inde Sulpicia in satyra sua, — *Summa tyranno Hæc instant odia, & nostro periturus honore est.* id est, propter

nos. Dicitur, ut apud Curtium, *Non luxuria laboramus, sed bello.* Seneca Suaf. 7. *Non laudabo municipem nostrum bono versu.*

DECLAM. XX.

Homini verecundo, cui necesse est, &c.]
 Lege, *Homini verecundo mihi necesse est, ut ea de germano meo dicam, quæ, antehabeo perire, ne videam.* Cum autem hanc declamationem accuratius considero, facile induco animum, ut credam, hanc declamationem non ab eodem fluxisse ingenio, à quo harum pleræque. Inter declamationes quoque, quæ avo Quintiliano inscribuntur, aliorum nonnullæ esse videntur. In quo si quis dubitet, is mihi eas videat, quæ declam. 371. subsequuntur.

Ipsa fama suæ naufragia.] *Tua* legendum.

Si hæc in mea vel sorore vidissem.] Quod tantum libidinis, cum istud sit impudicitia. Quomodo distinguit Sueton. Octavio 71. *Infamiam impudicitiaè facillime refutavit.* mox: *Circa libidines hæsit.* quod jam ab aliis observatum. Vocabulis distinxerunt, quæ rebus erant distinctissima. Impudicitia etiam gladio puniebatur, quam & doctor gentium detestatur epistola ad Romanos cap. 1. Libidines vero non ita gravibus obnoxia erant pœnis, nisi in viris, qui stuprarent. vid. Inst. de publicis judiciis §. 4. ubi exponitur, quid cautum sit lege Cornelia de adulteriis: quam Sueton. vita eadem cap. 34. legem de adulteriis & de pudicitia videtur appellasse; quæ sententia est verisimillima Torrentii, quam loco Institur. citato stabilis.

DECLAM. XXI.

Nihil audeo filio dicere.] An quia patriciales illius metuit manus? an vero habeo in his fuit. vid. Gronov. ad contror. Sen. 1. fin.

Quam quicquam mali faceret, &c.]
 Vitiolissima hæc, & quibus succurrere non possum, si istas solas voces adhibeam in consilium. sed sensus hoc aut simile flagitare videtur, *Nihil habeo filio dicere, quam quod ab ipso nuper audivi, leges*

leges uti valeant: cum nequicquam mali faceret, dicerem, cede fratri, &c.

Parricidium posse committi, &c.] Hæc quoque corrupta & sic refigenda, Didici salvis legibus parricidia posse committi. Ceterum jam non sunt patrandæ; pingenda sunt.

Et colorem timere, quod per sanguinem, &c.] Diu quis laborabit priusquam exputet, quid hæc sibi velint. Restituta sensum habebunt. veluti si sic rescribatur, & colorem timere. Quid si per sanguinem simuletur hoc factum, non tantum colore? sed & ære si possit & lapide, & quacunq; corpora nostra materia ars amulata est? Infæta, &c. Si corporum nostrorum est retinendum, similitudinem aliudve illi significatione cognatum exciderit.

DECLAM. XXII.

Capit & hic me sic habere despectui.] Hic, id est, in iudicio. Forte autem pro se, sibi. & mox, me nec adspicere dignetur. Sic autem ut pro quod in his sit positum, quo nihil pervulgatum magis in declamationibus. Et in prima quidem Quintiliani junioris. Ut heredem filium scriberet, non est res, quæ imputetur. Ita enim ista distinguenda & legenda. paulo post ead. Fungunt his multo incredibilia ut occideret patrem, pepercerit novercæ, &c. declam. 8. Non potest hinc tibi venire defensio, ut hoc sis pro alterius salute commenta. est & eiusdem declam. initio. Alteri Quintiliano hanc voculam isto sensu placuisse patet ex declam. 266. in ferm. & 296. quæ hac observatione non uno loco illustratur. videatur ab initio Seneca contr. 1. Lenocinatur, inquam, gloriæ meæ, ut videar etiam prohibitus alluisse.

Non privignum tentarat, &c.] Malim, Nisi privignum ante tentarat, quis, rogo, fructus est, impetrare nuptias hominis invitæ? & in sequentibus. At uter vobis actor utilior videtur, & verior, maritus, an cælebs? Est autem hæc declamatio quædam divinationis species.

Omnia suspicantur, qui nihil audiunt.] Videtur intercidisse etiam ut fuerit, et-

iam qui nihil audiunt. nisi pro qui quamvis. quamvis nihil audiant. ita & Declam. 27.

Affers in amore vel iurgium.] Sensus aliquis est, affers pro amore volens iurgium. Quomodo declamatione Quintil. 271. ubi mihi vindicandi sunt fratres, & duo fratres, non pugnabo? non volens (vel nunc legitur) discrimen vitæ subibo? Simile mendum insedit decl. 270. ubi sic edit. Nunc illud utique inter me & partem diversam conveniat, necesse est, non posse eum accusari, qui unus vel attulerit mortem nocentis, si erit unus ex his, de quibus paulo ante loquebamur: vel accusator, vel testis, vel iudex, vel index. Quæ satis erunt clara & perspicua, si unus inducatur: quod ex sequentibus huc migravit: vel & pro qui unus reponatur, quicumque (sed prius magis placet) & porro legatur, volens attulerit mortem nocenti. Ita mirum nemini, aut temeritatis culpæ proximum debet videri, si hic ex vel, volens fecero. Cogitavi etiam qui inferre in amore velis iurgium. In amore autem ut declam. 26. Hos enim pueros in ipsis sacris deum & altaribus educavi. quod per inter effert Justin. 6. 8. de Epamin. Ut mirabile videretur, unde tam insignis militiæ scientia homini inter litteras nato.

DECLAM. XXIII.

Eam quæ mater videbatur.] Quia matrimonium non intelligitur, nec justus pater, aut mater iusta, nisi sint cives, qui nuptias contraxerint. Naturalia tamen jura nihilo secius tenent.

Reversus peregre, is, qui videbatur.] Lege, qui civis videbatur.

Vel meam patriam esse contendunt.] Lege, concedunt. quod vidit & Pithæus; sed dubitat.

Sed quatenus sacer servit, &c.] Non satis cohærent hæc superioribus. Rectius habebunt, si sit, scilicet quatenus sacer servit, ut nec generum velit agnoscere, nec nepotem, dabit & mihi veniam, &c. Scilicet, contrahere scribentes solent: unde & corruptum in dialogo de Oratore videtur. Verba sunt, Tum mihi supra tribu-

natus, & præturæ & consulatus ascendere videor, tum* abire: quod si non in alto oritur, &c. Variè hæc legunt. Mihi non displicet; Tum mihi s. tr. & pr. & conf. asc. videor, tum in cælum (nam hæc videntur excidisse, aut sublimis, quod idem Livius lib. 1. aut aliud idem significans) abire: quod scilicet non ab alto oritur, nec in codicillis datur, nec cum gratia venit. Ubi si in scilicet mutatum jam olim etiam Lipsius voluit.

Merito mulier suos jam negabat esse.] Metu mulier scriptum fuisse videtur. paulo post, Mater armatum timuit.

DECLAM. XXIV.

Lege indemnatorum, &c.] Adde argumentum declam. 44. & hanc ipsam de hac indemnatorum lege.

Quod nec patrem ledere, nec m. &c.] Lege, Quod ne patrem ledere, nec mortem recusari.

Si potest fieri, ad hostiam, &c.] Cimmeriæ hæc tenebræ. Lux aliqua reddatur, si hujusmodi sit lectio. Si potest ferire, adsum hostia, quam diis penatibus vorvit: (quod inde colligo, quod pater cum sit, me filium privatum vult vita) satis iis faciat meo sanguine, imo & ipse suodum, &c.

Sed de mortis patris genere dissentio.] Illud patris exturbandum. quod iteratum ex iis, quæ antecedunt.

Nec sacra gentilitia insertiva stirpe corruptit.] De sacris gentilitiis commentatores ad Plaut. Captiv. 4. 1. 8. Insertivam stirpem adulterio susceptam expono. Quo me ducit Phædrus fab. 43. his verbis — conjugem esse adulteram Et insitivos significari liberos. Nam sensu turpiore accipiendum ex ipso satis hoc loco patet. Ceteroquin & honeste de adoptivis dici posse nullus dubito. Maxime cum legam in vita Tiberii apud Suetonium, cap. 3. Insertus est Liviorum familia, adoptato in eam materno avo. Si quis vero me interroget, quid hoc loco sibi velle Calpurnium, aut eum, ex quo hæc excerpserit, censeam; paucis dabo, quod mihi ratio & auctoritas veterum suggerit. Cum igitur nihil prius

neque antiquius duxerint in familiis, quam sacra gentilitia eaque cum familiis fuerint conjunctissima, ut qui Suetonio in Julio 83. in familiam nempe adoptatus dicitur, is exemplo aliorum, in gentem & sacra transisse non sine reconditoris scientiæ specie possit dici: & in sacris constitutus sit, constitutus in familia, sive non emancipatus l. i. r. C. comm. de success. l. 6. C. de bonis quælib. Cumque hæc ipsa sacra una cum hereditate ad proximos de familia transferrentur & pertingerent: denique cum gentilitia hæc & familiaria sacra caste, ut omnia essent curanda & colenda; ex iis, auctoris hæc verba manasse manifestum est, nemo sacra gentilitia insertiva stirpe corruptit. id est, Nemo vel ipse superstes, morbo aliave impeditus ratione, sacra ista insertivæ stirpi administranda commisit: nec moriens ea ad id genus liberos pertinere voluit. Quippe cum nec de familia sint §. ult. Instit. & nec in bona, quibuscum conjuncta hæc sacra, succedere possint. Præterea (quod maxime huc facit) si his nefario concubitu susceptis committerentur hæc sacra, necessitas erit, ut & ipsa sacra violarentur, & familiæ gloria infuscareretur. Quæ ut nunc etiam indelibata conferrentur, minime judicat permittere patrem oportere ut filio vilem manum admoveat carnifex; cum tantummodo fas sit ut ipse filium destinatam diis penatibus hostiam immolet.

Placabo dexteram meam.] Lego, dexteram tuam, quæ spero, mihi incidere cervices volet.

DECLAM. XXV.

Nisi rebus ipsis ostendo.] Ita malunt sæpe optimi, quam re ostendo. Cic. causam rebus à diis immortalibus judicatam. Liv. promissa rebus affirmare. Sen. ep. 89. ipsis rebus cogi.

DECLAM. XXVI.

Amittere filios, quam eligere.] Eligere id est, quem præmio viri fortis, quem alia servarem ratione, constituere.

Resisto orbitati, non jure, vel sanguine.] Scri-

Scribendum forte & jure & sanguine. jure, quo licet poenae te offerre vicarium. non pro & substitutum vidimus declam. 2. Mox: *dulcis est omnibus vita & jucunda vel miseris hujus lucis usura: sed non invenio, quis possit vicarius esse, nisi pater.* Vos, inquit, gratam esse, & esse debere omnibus vitam allegatis, & mihi minime moriendum, qui rerum gestarum gloria vivus frui possum: sed filius capite periclitatur; cui nemo succurrere potest, nisi pater.

Speclata in minoribus, major est.] Legebam, spes tamen.

Recordatio venia magnus est stimulus industriæ.] Conjeci senum pro venia. vid. Justin. lib. 29. cap. 1. cogitavi & gloria. Nunc vulgatam expono, stimulum industriæ esse datum facinoroso veniam, dum ille se videt dedecus suum abolere & expiare non posse, nisi rerum praeclare gestarum gloria.

Dedisti mihi liberos fortuna, rapisti, &c.] Filium orationis ducit, ut credam rescribendum, *Dedisti mihi liberos fortuna; rapies?* Id autem factura es, si hunc unum subducere poenae non possim: pro quo si mori non licebit, & ab iis, quibus data venia, morte voluntaria divellar. Venit & in mentem, *Reddidisti, non trucidatos ab hoste.* Laborant & sequentia: quibus sua magis constabit sanitas, si sit, *concedis alios respublica: nec hunc relinques?* Nisi duos pro alios. mox. *Vos, duo liberi, omnibus in vita liberis, hunc & ipsi vita mea praefero.*

*Sed & * meo.]* Expungendus asteriscus.

Vos mihi honorem, &c.] Manca hæc & mutila. vocula una inserta oratio erit expedita. *Vos mihi honorem prestabitis, hunc ego sanguinem.* Grandis erit, nec commoda minus, si emendes, *Vos non mihi honorem prestate, sed huic sanguini.* Filiis his meis sanctissimis, quos in ipsis sacris deum & altaribus educavi. vid. init. declam. Virg. *Projice tela manus sanguis meus.*

DECLAM. XXVII.

Expectavi diu divitem.] Nolens præripere palmam, qua pauper poteram mori. *Quod ille debebat ego solvi.]* Quare gratum se mihi præbere, non autem ita ægre ferre victoriam meam debet, ut propter eam nolit à me accipere vitam.

Idem eris in ævum, &c.] Malim, ideo meus eris, quamvis supremo die fungeris. *Qui in quamvis corruptum vidimus & Declam. 22. f.*

DECLAM. XXVIII.

Cum præmium peteret injustum.] Quo nempe periturus alter nostrum, neuter sine summo timore futurus, uterque innocens, idque eo tempore, cum nullum adhuc ab divite meritum in tempore profectum esset. Justum potuisset petere præmium etiam ante victoriam, si agrum, domum, pecuniam, alia similia optasset.

DECLAM. XXIX.

Facem nubenti præferam, an rogam jacentis accendam?] Jam igitur illam pro mortuo habet Declam. 14. *Hic enim quando sepeliet jacentem, qui noluit redimere venalem.* Adde Senec. Octavia 264. Justin. II. 1. 4.

DECLAM. XXX.

Ab amore meretricis abdicavit.] Fuit hunc ob amorem.

Morbo potius assignat, & fato, quam moribus.] Simili prudentia utitur Germanicus ad milites tumultuantes. Tac. I. A. 39. 1. *Fatalem increpans rabiem, neque militum, sed deum ira resurgere.* Apud eundem auctorem simile 4. H. 72. 8.

In quo puero, &c.] Scribe, imitatur. *In hoc puero, &c.]*

Quod certa est.] Igitur sciunt omnes, hunc meretricis esse filium.

DECLAM. XXXI.

Soror, insaniendum est.] Neveletus, *Soror occiditur: insaniendum est.* Probante Pithæo. Idem videram, simillima ratione

tionem: nisi quod & incidebat, Sororem occidi. quod tamen non præfero.

Hic exitus venit.] Puto, invidetur, scripſiſſe auctorem.

Voluit me explorare fortunam gloria, &c.] Hæc quoque qualiſi depoſita. Melius habebunt hoc modo: Voluit me explorare fortuna: quantum gloriæ, quantum nobis honoris attulit, tantum virtutis expoſcit.

Melius eſt patri.] Emendo, melius eſt, pater, virtutum tuarum argumento te prodeſſe, quam pœna.

DECLAM. XXXII.

Qui deum noſtrum patitur.] Melius, veſtrum, ſcilicet Cupidinem. dictum hoc, ut argumento Declam. anteced. furorem paſſus.

DECLAM. XXXIII.

Nihil equidem leges clementius paraverunt.] Legumlatores pro leges facile quivis præferat.

DECLAM. XXXIV.

*Non ante rerum argumenta, quam nomina.] Cogitare vult iudices alteram matrem, alteram novercam appellari: In illo autem, quam hoc nomine, infinitis partibus plus eſt, quod devinciat ad amandum. Ex eodem manant fonte illa Declam. i. Quintil. *Dicas neceſſe eſt, quæ huic cum patre fuerint odia, quam violenta diſſenſu inter ſacrorum infinita nominum pignora. & ejuſd. Declam. 5. Liberi parentes alant. Pudet ſacrorum nominum, pudet religionis humane. Hæc ergo lex erit? De quibus latius jam egi ad Decl. iſtas primas.**

*Dolor orbitatis facinoris arguetur, &c.] Malim, non arguitur. Hoc ſenſu, ad quos dolor redundat orbitatis, ut ſunt pater, mater, ii facinoris ſuſpecti eſſe, aut argui non ſolent. Sequentia ſunt, *At, ſi grave eſt, &c.**

*Uxorem non defendendo damnasti.] Sueton. de Auguſto cap. 56. illius in vita. Cum *Aſprenas Nonius arclius ei junctus, cauſam beneficii accuſante Caſſio Se-**

vero diceret, conſuluit Senatam, quid officii ſui putaret: Cunctari enim ſe, ne, ſi ſuper-eſſet, eripere legibus reum: ſin deſſet, deſtituere ac prædamnare amicum exiſtima-retur.

DECLAM. XXXIX.

Ejuſdem argumenti eſt Declamatio Quintiliani 354.

*Cruditas virginis crimen eſt matris.] Quintilianus junior Declam. i. Nam quod in viſum fuiſſe filium patri jaclat, crimen novercæ erat, ſi conſiteremur. Propert. *Tam formoſa tuum mortua crimen erit.**

DECLAM. XLI.

*Suis muneribus invidit.] Fortuna eadem apud Petron. carmine de bello civili, *Omnia quæ tribui Romanis arcibus, odi, Muneribusque meis irasco: deſtruet iſtas Idem, qui moles poſuit, deus.**

DECLAM. XLII.

Solemne in his damnum.] Forte, in vobis. Latinius certe, quam inis Pithoci.

Oculi quos ego primus adamavi.] Lege, Quibus ego primum adamavi.

DECLAM. XLIII.

Dilexerunt enim ſe mutuo fratres.] Niſi aliquid deſit capiti, pro enim malim olim.

DECLAM. XLIV.

*Niſi forte moleſte tulit; quod, &c.] Corruptus locus. Cogitavi, Niſi profe-cto moleſte tuli, niſi quod & non hunc ipſa damnavit. Jam cum illo, &c. Sed incidit & forte poſſe retineri; & ſignificatio-ne vocis profecto. Saltem fortaffe ita accipi dubium non eſt. Quod minus audacter aſſeverarem, niſi auctoritate Quintiliani avi eam rem confirmatam dare poſſem: qui omnibus teſtis affidus debet haberi. Is igitur Decl. 300. inquit. *Diſpiciendum tibi fortaffe fuerit (fuit ſcribe) ad quem venires: diligentius excutiendi mores. Eadem. *Absolvi matrem meam. Hoc non eo pertinet fortaffe, ut debuerim crimen remittere: multa ignorantes patimur. Declam. 30. Neque tamen (enim lego) irritare tam delicatas ejus cupiditates***

piditates potuisset ancilla: nec fecit; quod adversus hanc conditionem fieri fortasse potuisset. Rapiuit tanquam ingenuum. Declam. 337. *Afferant* (*Afferunt lego*) aliquid fortasse solatii mala divisa, si partiaris; ita hoc graves causas allevare possis, si non ingruant ac semel veniant. Sunt & loca plura, quæ alias dabimus.

Voluntaria profectioe transegerim.] Scribe, *transegeram*. Transactione iis liberamur, quibus tenemur. Ita *transigere cum factis*, est poena, ad quod factum obligat, se liberare. Simili quadam ratione *decidere*. quia transactione lis deciditur, finitur, extinguitur. *Decisa negotia* Horat. ad finem perducta. Declamat. 12. Quintilian: *Effuge raptos, effuge non dimissuros. Si aliud fieri non potest, decide cum tempestate, naufragio in desertum litus impinge.* Declam. avi. 252. poterat brevi conditione decidi, ut diceret qua alia lege cum illo consistere potuerim. Sen. controv. 2. Unde sumus, an convenientibus, pro virginitate alio libidinis genere *deciderit*. Ubi & alia exempla vide in not. Gronov.

Hunc mater occidet.] Declam. 39. *Ego te, frater occidi, dum cum matre contendo.*

Post exilium, post reum filium.] Conjeceram *post genitum filium*. Quod sensu est commodo. Sed cum cogito, ad ea respectum, quæ initio Declam. sunt dicta. Sic omiſſa particula supplendum, ac reponendum, nisi *post reum filium*. Suspectam hanc facit, quasi ex alio hunc filium suscepit. Ideo scilicet filium lubenti animo incolumentum servare & alere, nec de hoc quaestionem movere, aut movisse. ipsum autem perditum cupere, quo altero potiatur.

DECLAM. XLV.

Quam plus ad vestra iudicia, &c.] Caput declamationis laborat. Ubi commodius esset, *Quid? an plus, &c.* & mox, *cives, non iudices*. Petitur enim consultatus.

DECLAM. XLVI.

Adde Declam. 391.

Pro uxore dilecta petit.] *Lege, propter uxorem dilectam.*

DECLAM. XLVII.

Inveniet illum postremo vel fama.] Igitur cum poenam suam vel jam invenerit adulter vel inventurus sit, ego accusandus exdis non sum, quamvis cum una cum uxore deprehensum non interemerim.

DECLAM. XLVIII.

Reliquisti superstitem legem.] Quæ post te duratura & conservatura tuum est nomen: quod non idem contigit patri, cum sumeret expeditionem; quam sumisit tamen. Accommodatius ad rem sit, *reliqueris, aut relinques.*

In victoriam pene succedis alienam.] Florus 2. 16. *Fata rerum! quum Metellus dimicasset, ad victoriam Mummius venit.*

DECLAM. XLIX.

Post factas nuptias, illa quod virgo, &c.] Scribe, *Post factas nuptias altera quod virum perpeſſa erat, quem conceperat, peperit.*

Venit ad vos prava mulier.] Malim, *veniat*. nempe non hæc mea, maxime misericors & pia.

Patris similis apparuit.] Qui rapuit & vim intulit matri. Lege autem, *patri similis apparuit: inde matrem tam graviter offendit. Nam quis, &c.* nisi Num quis cenſeas rectius.

Tu me docueras, puella, misereri.] Uxorem suam intelligit puella nomine. quod minus mirum, cum & *virginem* appellent, non solum, quæ virum passa, sed & quæ jam mater est. Calvus in Io, *Ab virgo infelix, herbis pascere amaris.* quod Servius citat ad illud Virgilii Ecloga 6. de Pasiphaë, tres jam liberos Phædræ, Ariadnæ, & Androgeum jam enixa. *Ab, virgo infelix, quæ te dementia cepit.* Adde & Grotium ad Matth. cap. 1. 23.

De matre nihil meminit, &c.] Clario-
ra hæc, *De matre nihil meminert: o gratum infantis errorem! te existimabit matrem.*

Disce infelix puer, &c.] *Discessero in*
Ccc 4 *senten-*

sententiam illius, si quis malit, *Disce infelicitatem, puer, natalium tuorum, disce fortunam.* Natales ut sint, origo & familia. quomodo in vulgarissimis, *Restitui natalibus, &, natalibus non officere manumissionem.*

Et pariter factum alia servavit.] Diu me hæc habuerunt exercitum: & nondum pro certo scio, an viderim ea, quæ scripserit auctor. Sensus tamen manifestus in his apparet, & *pariter factos alienos servabit.* Obrulit se etiam, *pariter forte nunc alienatos servabit.* His autem minatur, se hanc, nisi desisteret, derelicturum, cujus nunc teneatur matrimonio, & ad alterius, cujus è compressione hic illi erat natus filius, nuptias transiturum. Illud *alienare* ita apud Plaut. Amph. 1. 1. 243. *Certe adepol tu me alienabis numquam, quin noster siem.*

DECLAM. L.

Virum igitur gladiatorem, &c.] Haud cunctanter corrigo, *Utrum igitur gladiatorem negat aliquis infamem? an me negat gladiatorem? Utrumque mendacium est.*

Neque enim conditione gladiatoria, &c.] Pertinet ad hæc Flor. 2. 19. & 3. 20. init.

Quousque fortunam facimus, &c.] Sallustius graviter de his præfatione belli Jugurth.

Etsi victoria solita provenerit, &c.] Divellendum *Etsi.* Forte & mutandum in *At si.* Et interrogatione periodus efferenda. Exprimere enim vult indignum esse, ut illi, qui gladiator fuerit, & infamis, concedatur triumphus.

DECLAM. LI.

Amo enim juvenem, quia non genui meo sanguine, sed redemi.] Cum illud necessitatis, hoc iudicii sit.

EJUSDEM